NONNULLA
DE PRIMA FORMATIONE COHIBITA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS ANATOMICO-PATHOLOGICO,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE VI. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXVIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

JOANN. FRIDERIC. DE WIEBERS,
POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. J. BOEHR, MED. ET CHIR. DR. ET MEDIC. PRACTIC.,

G. BENEDIX, MED. ET CHIR. DR.,

G. KRIEG, MED. ET CHIR. CAND..

Accedit Tabula Aenea.

BEROLINI, TYPIS JORDANIANIS.

VIRO

EXCELLENTISSIMO, GENEROSISSIMO,

AMPLISSIMO

BAUMANN,

IN RE PUBLICA PRAESIDI SUPREMO MAGNI DUCATUS POSNANIENSIS, EQUITI, ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS SUMMA,

QUA

DECET, REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Quum sint in medicina materiae omnes tam multipliciter tractatae, tironi, quamquam negari non potest, in tenebris esse usque ad hoc tempus multa perscrutanda, nimirum valde difficile est, et electu et descriptu aptum argumentum, quo utilitas vera in lucem proferatur, et id, quod ad hodiernum tempus in occultis permanserit, contempletur.

Quocirca ut legibus, a maioribus sancte constitutis, satisfaciam, et dissertationem inauguralem pro doctoris honoribus rite asse-

quendis scribam, istud argumentum, quod in fronte huius libelli cernitur, illustrissimo Rudolphi, praeceptore benevolentissimo suadente summo cum gaudio et arripui et tractavi.

Ac quidem non possum, quin gratias agam hoc loco vel summas viro illustrissimo Rudolphi, quippe qui, praeter alia insignis benevolentiae atque favoris documenta, maximum in me eo contulerit, quod illud argumentum describendi eiusque icones scriptis meis superaddendi potestatem fecit. — Item debeo gratias maximas viro experientissimo, Doctori Schlemm, universitatis nostrae prosectori aestumatissimo, qui et in examinando et describendo praeparato pathologico summa cum benevolentia et humanitate me adiuvit.

In meo consilio est, ut in hisce scriptis Lectoribus benevolentissimis et iustissimis nonnulla tradam de prima formatione cohibita. Quamquam enim haec materies summa ex parte iam tractata sit; multa tamen supersunt praeparata, et mentione et descrip-

tione dignissima. Atque hanc ob causam non vanum habeo, tam duras et molles partes, quam etiam defectus describere cuiusdam brachii, quod in prima formatione cohibitum est.

Quo in tractando argumento animum praecipue in extremitates superiores converti, quippe quae, utilitatis ratione habita, nostra atentione vel summa dignae sunt, quum extra omnem dubitationem ponendum sit, et deformatione vel defectu homini de summa dignitate multum detrahi. Etiamsi in animalibus, quae in altiori gradu collocata sint, simile brachium vel similis manus comprehendatur, tamen haecce formatio minoris momenti est analogon, et nunquam pes prior cuiusdam animalis manus humana censenda est. —

In tractando hoc argumento summum studium et summam diligentiam, sit venia propriae laudi et quasi arrogantiae meae, collocavi. Attamen certo inveniuntur, quae imperfecta, nec bene scripta sint, quibus indul-

geas, quaeso, L. B. — Sunt primitiae, quae his scriptis a me in lucem eduntur. Ne sis igitur severissimus iudex, ne abiiciam animum bonum, si tempore futuro fortasse meliora tibi tradam.

Libros, quos in scribendo hoc libello in usum vocavi.

Treviranus Biologie. Bd. 3. S. 425.

Bonnet Considér. sur les corps organisés. p. 102.

Blumenbach Handb. d. Naturgeschichte. Goetting. 1802. S. 20 – 23.

Huber de monstris. Casellis. 1748.

Voigtel Handb. der pathol. Anatom. 3. Bd. S. 574.

Malacarne Mem. della soc. ital. Vol. IX. p. 49 — 84. (Dei mostri umani.)

Rudolphi Praelectiones physiologicae et

— — — anatom. patholog.

Meckel Handb. d. pathol. Anatomie. S. 174 — 75.
Voigtel Fragmenta Semiologiae obstetriciae. Halae 1790.
Caldani Memorie. Padova 1804. p. 105.
Düfraigne Colombier. j. de m. 1782. Dec. p. 517.
Dümerill Bullet. de la soc. philom. T. III. p. 112.
Goeller Misc. n. c. d. II. a. 3. p. 311.
Friederici Monstr. human. rariss. Lips. 1737.
Isenflamm und Rosenmüller Beitr. Bd. I. H. 1. Seite 42.
Weitbrecht N. c. Petr. t. IX. p. 269. ff.
Oberteuffer Desc. oss. morb. p. 129.

Introductio.

Formatio prima cohibita is nimirum est status inferior, quo collocata est formatio cuiusdam individui, vel, quod idem est, formatio imperfecta, in qua partes aut partim evolutae, aut in toto deficientes deprehendantur. Cuius formationis cohibitae ut in regno vegetabili et animali inveniuntur exempla, sic inter homines etiam haud raro huiusmodi phoenomena mirabilia ante oculos nostros veniunt.

Temporibus prioribus unaquaque prima formatio cohibita ad monstra est relata, quod inter primam formationem cohibitam monstraque arctissimi fines non statuendi sint, quum illa in haecce saepissime mutata occurrant.

Recentioribus autem temporibus plures auctores hocce de argumento eo consentiunt: si repe-

riatur in organismo foetali status morbosus, hicce nec ad monstrositates, nec ad primam formationem cohibitam referendus, quoniam ibi, ubi quoddam pathologicum phaenomenon sit, non solum forma, sed etiam miscio mutata reprehendatur vel maxime opus sit, ut verbi causa in rhachitide, hydrocephalo, etc.

Monstrositas autem iste status appelletur, quem, aliquid non morbo niti, intelligamus, sed re vera monstrum quoddam adesse.

Ac denique primae formationes cohibitae isti sint status, quibus partes, quae ad perfectissimam evolutionem ducendae fuissent, remanserint in certo gradu imperfectionis.

Quum sint sententiae auctorum diversissimae de causis, quibus monstra et formationes cohibitae producuntur; latius essem oporteret, si omnia, quae hac de re dicenda sunt, proferre vellem. Sed ut hoc agam, hic non est datus locus opportunus. Alii illa in morbis nervosis, alii autem in externis rebus niti, vel potissimum censent.

Meckel et Voigtel latius hac de re locuti sunt in operibus suis, supra nominatis. Item, hic non locum esse, vel maxime credo, si enumerarem diversissimas monstrorum divisiones; qua re satis duco, auctores inducere, qui illis divisionibus

statuendis operam navarunt vel summam: sunt Treviranus, Meckel, Bonnet, Blumenbach, Huber, Voigtel, Malacarne, Rudolphi.

Hoc loco tantummodo in meo consilio est, ut declarem, ex quibus partibus et osseis et mollibus constructa sint brachia, in tabula aenea huic argumento adiecta.

Inter scriptores, qui similium deformationum, vel primarum formarum cohibitarum fecerunt mentionem, hi praestantissimi sunt:

Curtius musculum latissimum dorsi invenit in sinistro latere, cum brachio ipso non coniunctum; erat autem istud brachium multo minus dextro evolutum.

Meckel in libro, supra citato, sic loquitur: Monstrum a me investigatum carebat in extremitatibus inferioribus lateris dextri omnibus musculis; in sinistro latere autem omnes deerant flexores. In alio monstro extremitas superior dextra, quae qua rudimentum tantummodo imperfectum exhibebatur, omnibus musculis carebat.

Idem auctor pergit tali modo: formatio cohibita, in evolutione extremitatum perspicienda, in diversissimis gradibus occurrit: extremitates, quae infimum gradum ostendant, multo rarius inveniun-

tur, quam, quae altiorem perfectionis gradum occupent.

Caldani loquitur de musculis et ossibus, quae non inventa sunt in latere dextro.

Düfraigne similia profert et scripsit.

Dümerill, se foetum secasse, contendit, ubi os humeri, ulna et radius defuissent, unumque ossiculorum carpi, digitis curvatis, coniunctionem habuisset cum capitulo scapulae.

Goeller et Friederici inter alias monstrositates, quae animadvertebantur in eodem foetu, inveniebant tantummodo unum os in antibrachio, itemque in crure.

Goeller, ut eius utar nomine solo, radium et tibiam.

Wiedemann monstrositatis exemplum id profert, quo exhibebatur defectus radii et digiti pollicis, quod simili modo se habet in argumento, quod iam aggredi volo.

Ac quidem ut melius describatur et intelligatur argumentum, hoc ipsud in plures paragraphos divisum occurrit, quod quidem iure factum puto.

Foetus, de quo locuturus sum, est foetus maturus, pedibus contortis, extremitate superiore

dextra minus evoluta, duos tantum digitos exhibente.

In toto omnium ossium epiphyses perspicue cognoscendae; ossa ipsa sunt normali structura, aut curvata; plura desunt.

§. I.

Ossa brachii.

(Os humeri).

Hoc os, ut in statu normali, sic etiam hic, facile in tres partes dividi potest, in partem superiorem, mediam et inferiorem. Pars prior et media penitus structura normali gaudent, in parte autem inferiori summa abnormitas occurrit; desunt enim non solum in anteriore, sed etiam in posteriore superficie cavitates glenoidales, quibuscum processus cubitalis et coronoideus ulnae normaliter arctissimam habent coniunctionem. Loco istarum tantummodo vestigia levia in istis superficiebus perspicienda, qua re valde difficile est intellectu cavitates glenoidales. Item minima condyli ex-

terni et interni, trochleae, rotulaeque rudimenta occurrunt, qui defectus, vel quaedam formatio cohibita in relatione ad ulnae coniunctionem ponendus est, ut iam supra dictum.

Connexus ossis humeri, locum habens cum scapula et clavicula, idem est, qui in statu normali invenitur, ac quidem apparatus ligamentosus facillime et intelligendus et discernendus, quapropter omnes motus, qui fiunt inter os humeri et ossa, modo citata, simili modo, ut in statu normali, exerceri possunt.

---

§. II.

Ossa antibrachii.

Normaliter antibrachium, ut satis cognitum est, ex radio et ulna construitur; in nostro autem praeparato pathologico-anatomico tantummodo ulna perspicienda est, et quidem peculiari et forma et indole: est enim ex latere externo curvata ad latus internum, et praedita in superiore parte satis magno olecrano, quod os humeri in latere paene

amplecti videtur. Deinde in eodem praeparato nobis occurrit tantummodo fossa sigmoidea maior; fossa sigmoidea minor deest. Quapropter motus ulnae ad os humeri exercere non potest, sed magis lateralis, quoniam processus coronoideus in extensione antribrachii non coniunctionem habet cum fossa glenoidali ossis humeri. In parte ulnae inferiori nec condylus, nec processus styloideus perspicue animadvertitur. Item valde difficile est et inventu et intellectu cartilaginem interarticularem.

Radius non adest.

Motus, locum habens inter brachium et antibrachium, ex causis, supra censis, valde coërcitur, atque supinatio et pronatio hanc ob causam nullo modo perficienda. Praeterea autem os humeri et antibrachii ope ligamenti capsularis arctissime coniungitur. Quamquam non deficit ligamentum brachiocubitale, tamen ligamenti brachioradialis, annularis, chordae transversalis cubiti, et ligamenti interossei ne rudimentum quidem detegendum est.

---

§. III.

Ossa manus.

Licet carpus, metacarpus, et phalanges digitorum valde perspicue disiuncta nobis occurrant animadvertenda, tamen etiam in his formationibus gravem defectum invenimus. Normaliter carpus ex octo ossibus componitur; hic autem caret tribus ossibus. In primo ordine tantummodo se ostendunt os triquetrum, lunatum, et pisiforme, et in secundo ordine os hamatum et capitatum. Quocirca illic desunt, primum puto ordinem, os naviculare, et hic, in secundo ordine, os multangulum maius et minus. Carpus hanc ob structuram huncque defectum occupat formam triangularem.

Eius coniunctio, quae fit cum ulna, praecipue membrana capsulari sacciforme et ligamento accessorio recto paratur. Ligamentum accessorium obliquum, itemque ligamentum subcruentum non sunt detegenda. Coniunctio autem ossium, quae construunt carpum, membrana carpi communi efficitur.

§. IV.

Ossa metacarpi.

Normaliter quinque ossa adsint, quae componant metacarpum, valde opportet; hic autem tantummodo duo se ostendunt. Sunt nimirum, quae normaliter lateris cubitalis secundo ordini, scilicet ossi hamato et capitato respondent. Quorum coniunctio fit ope ligamentorum propriorum dorsalium, volarium, lateralium, capitulorum metacarpi.

§. V.

Phalanges digitorum.

Phalanges digitorum, qui in duplo solummodo obviam veniunt, nempe digitus annularis et auricularis, duobus ossibus metacarpi affixae sunt. Prima phalanx digiti annularis cum duobus ossibus metacarpi coniungitur, licet hac coniunctione non capsula peculiaris formetur. Praeterea autem phalanges digitorum structurae normali verissime

respondent. Manus igitur caret pollice, indice et digito medio.

Coniunctio articularis, inter metacarpum locum habens interque phalanges, eodem modo se habet, uti in gradu normali.

§. VI.

Musculi brachii.

Ut ex modo dictatis variae magnaeque abnormitates, quae spectant ad structuram osseam, variique eorum defectus elucent, sic etiam plures partium mollium aberrationes invenimus, quae, et locorum insertionis et magnitudinis ratione habita, variae sint. Atque haud raro istarum multiplicis gradus defectus occurrunt. Gravissimae quidem deformitates et maximi momenti defectus haecce sunt, ut brevibus verbis attingam.

Musculus pectoralis maior utramque portionem, portionem pectoralem et clavicularem, distinctissime quidem ostendit disiunctam; pars autem clavicularis abnormaliter, sub clavicula quasi prorepens, ad externam partem scapulae transit,

nec ossi humeri, sed extremitati claviculae acromiali et externo margini ipsius acromii inseritur. Portio pectoralis, quae nihil falsi in origine praebet, sensim sensimque diminuta os humeri aggreditur, ibique coniunctionem cum musculo deltoideo sibi parat. Tendo communis affixus est ossis humeri spinae tuberculi maioris, ubi superior pars partem mediam tangit.

Musculus deltoideus, multo minor, quam in statu normali, originem ducit ex labio scapulae spinae inferiori, itemque ex margine externo acromii, nec autem, ut norma docet, ab extremitate claviculae acromiali. Postquam valde diminutus est, latus brachii externum transgreditur, et in superficie anteriore cum tendine musculi portionis pectoralis maioris se coniungit. Quo modo tendo sit affixus, iam supra ostendimus.

Musculus pectoralis minor, quod attinet ad originem, decursum et insertionem, normalem praebet formam.

Musculus coracobrachialis, normaliter in apice processus coracoidei ortus, ceterorum musculorum ratione habita, validissimus est, adeo, ut caput breve musculi bicipitis, quo caret brachium, de quo loquimur, cum eo in unum tantummodo musculum formatum videatur. Est affixus medio in

osse brachii, in latere interno, ut vult structura normalis.

Musculus biceps, ut iam supra dictum, itemque brachialis internus, uterque igitur flexor articulationis cubitalis non detegendi sunt.

Cum musculo latissimo dorsi, qui praebet et structuram et indolem normalem, ibi, ubi affixus, coniuncta est in brachio portio muscularis, quae ex costa quarta, sub margine musculi pectoralis minoris originem ducit.

Ceteri musculi, humerum quasi occupantes, ut musculus supra spinatus, cucullaris, levator anguli scapulae, infraspinatus, teres minor et maior, subscapularis, serratus anticus maior, et rhomboidei, quoad originem, decursum, insertionem atque magnitudinem, nihil falsi animadvertendum ostendunt.

Musculus triceps, qui in nostro praeparato valde transgreditur normalem et magnitudinem et crassitudinem, in tria distinctissime partitus capita occurrit, nec ullam praebet aliam abnormitatem.

Musculus anconeus quartus ex hac ratione docet abnormitatem, quod eius insertio fiat unum pollicem super condylo externo; insertio normalis in condylo externo ipso intelligitur.

§. VII.
Musculi antibrachii.

Musculi supinatoris longi ne rudimentum quidem cognosci potest.

Musculi manus extensores digitorumque, excepto extensore carpi ulnari, communem formant ventrem muscularem, qui satis alte ad externum ossis humeri angulum transit. In parte istius ventris muscularis inferiore duo tendines originem ducunt, et aggrediuntur superficiem dorsalem, phalanges superiores ossium metacarpi. Itemque duo tendines affixi sunt utrique digito, optime evoluto.

Musculus extensor carpi ulnaris coniunctionem non facit cum manu, sed una cum tendine ligamentis articulationis manus, quae formam genu tenet, absconditur.

§. VIII.
Musculi flexores manus et digitorum.

Hi in universum ita sunt quasi mutilati et implicati, ut de ipsis vix quidem aliquid clari dici possit.

Flexor carpi ulnaris, optime formatus, ossi pisiformi affixus.

Flexor carpi radialis deest.

Flexor digitorum sublimis, tenuiter evolutus, in duos tendines disiunctum non se praebet.

Flexor digitorum profundus iterum deest, uti etiam perforatio tendinis sublimis non animadvertenda occurrit.

Praeter hos musculos magnum musculum invenimus, ex latere interno ossis cubiti originem ducentem, qui, quod extra omnem dubitationem poni potest, digitorum flexoribus deficientibus respondet, atque, quum manus pluribus digitis careat, lateri radiali partis anterioris trium ossium metacarpi est affixus. Cuius musculi validissimi ut nonnulla verba addam de effectu, ex ipso contorsionem manus ad latus pollicis facillime explicandam, satis elucet.

Musculus abductor digiti minimi, itemque flexor digiti minimi, et duo musculi interossei tantummodo in manu reperiuntur; ceteris omnibus ipsa caret.

§. IX.
Vasa et nervi brachii.

Nervi singuli brachii, ex plexo brachiali orti, perspicue discernendi et cognoscendi sunt, licet nonnulli eorum, praecipue nervus ulnaris minus evoluti sint. Pari modo nihil falsi praebent arteriae et venae, quae adsunt. Arteria axillaris radicibus nervi mediani amplectitur.

His exceptis abnormitatibus et defectibus aliae quoque aberrationes animadvertendae sunt, quae foetum penitus deformatum reddant: deest nimirum quoque oculos sinister, septum narii et orificium ani.

Postquam absoluta sunt, quae brevibus dicenda erant de nostro praeparato anatomico-pathologico, alium foetum aggredior, qui maturus est, quemque, variolis ante partum laborasse, pemphigi neonatorum vestigia satis docent. Extremitates prae se fert superiores minus evolutas, inferiores varis praeditas. Ut in prima huius argumenti parte tantummodo de deformitatibus, nonnullisque defectibus sermo erat, sic etiam hic tantummodo de extremitate sinistra superiore deformata sum locuturus.

§. X.

Ossa humeri.

Scapula, clavicula et os humeri penitus normaliter et constructa et inter se coniuncta.

Ossa antibrachii tantummodo qua rudimenta reperiuntur.

Ulna perspicuum praebet olecranon, processumque coronoideum, quibus articulatio, cum trochleo locum habens, manifestatur. Ulna ipsa unius circiter pollicis longitudinem habet, et finita est apice curvata.

Pars superior radii, coniuncta cum osse humeri et ulna, normalem ostendit figuram et structuram. Pars autem eius inferior, ad ulnam inclinata, sub curvatura sic collocata est, ut utrumque os in partibus inferioribus quasi formam crucis significet. Tabula aenea haec ossa quidem disiuncta exhibet, quod autem hanc ob causam iure factum puto, quod utrumque melius cognoscatur.

---

§. XI.

Musculi brachii.

Musculi brachii, tenuiter constructi, colore albido flavescente, tela cellulosa validissima et ten-

dinosa contexti, valde difficiles sunt disiunctu. Attamen et in anteriore brachii latere et in posteriore fibrae musculares perspicue discernendas se ostendunt, adeo, ut nec antibrachii flexorum, nec extensorum defectus locum habeat.

Musculus deltoideus pari modo, id est valde tenuiter, evolutus.

§. XII.

Nervi et Vasa.

Ex nervis nervus radialis, nonnullique nervi cutanei distinctissime sunt discernendi.

Arteria brachialis iam in brachio in plures ramos dividitur.

EXPLICATIO TABULAE AENEAE.

Fig. I

Exhibet primi foetus brachium, uti ante sectionem se praebuit.

Fig. II.

A. Os humeri.

B. Ulna.

C. Carpus.

D. Metacarpus.

E. Phalanges digitorum.

Fig. III

Exhibet secundi foetus brachium, ante sectionem se praebentem.

Fig. IV.

A. Os humeri.

B. Ulnae, } Rudimenta.
C. Radii }

VITAE CURRICULUM,

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Ego Joannes Fridericus de Wiebers, confessioni lutheranae addictus, die XVII. M. Aprilis, anno MDCCXCVII. Posnaniae natus sum, patre Jacobo Friderico optimo ac dilectissimo, medicinae et chirurgiae doctore, collegii sanitalis membro, atque instituti artis obstetriciae Posnaniensis praeceptore, — matre carissima e gente Hoffmaniana, cuius mortem iam circiter viginti annos lugeo. —

Istud damnum acerbum resarsit numen supremum, quum noverca e gente de Timroth dilecta beatam matrem secuta, mihi nunquam novercaretur, sed mater me semper foveret tenerrima atque benignissima, quam ob rem palam hic gratias illi summas ago.

Patris dilecti exsequias ante quatuor circiter annos etiam iam ivi. —

Primis literis imbutus gymnasium Posnaniense frequentavi. Ab anno MDCCCXV usque ad MDCCCXXIV pharmaciae operam navavi.

Quum autem prius iam animus meus ad res medicas intenderet, ab eo inde tempore totius medicinae studium in me suscepi. Rostochii die V. M. Martii ab Ill. Beck, t. t. Rectore magnifico, numero civium academicorum adscriptus sum, ibique per annum hisce praelectionibus interfui: Ill. Beck de mathesi pura, Ill. Floerke de botanice, Ill. Wildberg de encyclopaedia et methodologia rerum medicarum, Ill. Quittenbaum de anatomia tam universali, quam speciali, qui simul artem cadavera rite dissecandi me docuit, Ill. Siemssen de zoologia et mineralogia, et Ill. Maehl de toxicologia audivi.

Mense Aprili anni MDCCCXXV in patriam redux Universitatem literarum Berolinensem adii et ab Ill. Rudolphi, viro summe venerando, t. t. Rectore magnifico, in numerum civium academicorum die XII. M. Aprilis denuo receptus, ab Ill. Link, Decano t. t facultatis medicae quam maxime spectabili, medicinae studiosis adscriptus, hic per triennium audivi: Ill. Link de botanice, toxicologia, atque cryptophytis; Ill. Rudolphi de anatomia universali et speciali, pathologica, comparata et physiologia. Artem cadavera rite dissecandi me docuerunt Ill. Knape et Ill. Rudolphi; Ill. Mitscherlich Chemiam; Ill. Hecker pathologiam generalem, therapiam generalem et semioticen; Perillustr. G. Hufeland therapiam specialem; Ill. beatus Behrends doctrinam de febribus; Ill. Horn pathologiam specialem, therapiam specialem, doctrinam de

morbis syphiliticis et vesaniis; Ill. Rust chirurgiam universalem, specialem itemque morbos syphiliticos et oculorum affectiones; Ill. Kluge et Ill. Rust cursum operationum chirurgicarum; Ill. Wagner materiam medicam et medicinam forensem; Ill. Kluge artem obstetriciam theoreticam, et doctrinam de ossibus fractis et luxatis, atque Ill. Jüngken acologiam.

Tum etiam Clinicis medicis, cui praesunt Ill. Neumann et Ill. Bartels, clinico chirurgico ophthalmiatrico, cui praeest Ill. Rust, non defui; ad praxin artis obstetriciae ab generoso beato de Siebold et Ill. Kluge institutus sum, nec non sub auspiciis generorissim. de Graefe in clinico chirurgico ophthalmiatrico praxin chirurgicam exercui.

His omnibus praeceptoribus, pie colendis, gratiam, quam maximam animus meus concipere potest, semper agam.

Jam tentamine philosophico et medico examineque rigoroso rite feliciterque superatis, spero, fore, ut Illustrissima Facultas Medica, dissertatione palam defensa, summos in utraque medicina honores benevole in me conferat.

Theses defendendae:

1. Luem larvatam nego.
2. Causa praedisponens plus valet ad morbos provocandos, quam causa occasionalis.
3. Plicam polonicam ad dyscrasias referendam esse, contendo.
4. In amputando pene cultro ligatura est praeferenda.

Fig. I.



Fig. II.





Fig. III.



Fig. IV.



I. Müller del.

C. Haas sc.